



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||**

**Molanus, Johannes**

**Antverpiae, [1592]**

De sacra militia B. Pipini primi Ducis Austrasiae. Cap. VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38114**

xonicum. Commisso enim prælio, cum Dagobertus filius in capite faucibus multum vergeretur, ei pater Clotharius Rex auxilio accurrens, interfecto Berthoaldo Saxonum Duce, victor euasit, omnemque Saxoniam peruagatus, nullum omnino, qui gladij sui mensuram longitudine excederet, viuere permisit. Vtriusque post alios testis est Sigebertus, Bernardi ætate diligens chronographus.

*De sacra militia B. PIPINI primi Ducis Austrasie.*

C A P. V I.

**R**EGNANTE Clothario clarere incepit <sup>Primus Brabantie Dux Pipinus de Landis.</sup> B. Pipinus, quem primum vocant Brabantie Ducem. Quare deinceps, sepositis Gallorum Regibus, de Ducum sacra militia agendum erit.

Pipinus, ait Sigebertus, filius Carolomanni anno 100. xxv. maior domus Regis Clotharij principabatur. Pipino autem in administratione Reip. S. Arnulphus cooperabatur, filius Arnoldi, filij Amberti, ex Blitilde filia primi Clotharij Regis. Et anno 100. xxviii. Clotharius Rex filium suum Dagobertum in regnum adscitum, Pipino & Arnulpho committit, Austrasiis præfuturum. Anno quoque 100. xxxix. Dagobertus Rex Sigebertum filium suum Austrasiis Regem mittit, sub tutela Pipini, & Cuniberti Episcopi.

Sed ad sacra eius bella accedamus. In hi-

istoria huius Principis, quam à veneranda antiquitate acceptam Surius, primo tomo operis quod de Sanctorum vitis confecit, inseruit, celebratur inferioris Austrasiæ Præpositus, & Dux gloriosus, maior domus Franciæ sub Clothario Rege Francorum, & Dagoberto eius filio. Quæ dignitate parum à dominatione & sublimitate Regia differente præditus, omnia prudenti ordinatione disponebat, præstabatque tam in bello fortitudine, quam iustitia in pace.

Verum quibus in bellis fortitudine præstiterit, non exprimitur. Simile tamen vero est, quæcunque Dagobertus bella gesserit, huius virtute fuisse confecta. Primum itaque cum infideli Saxonum gente pugnatum est, inde cum Sclavis, deinde contra Vascones, ac postremò contra Winidos Saxonum auxiliares bellum gessit.

Neque dubium esse debet, quin eius opera atque consilio Iudicail Rex Britonum gratiam Dagoberti sibi redemerit, & Suin- tillane ob crudelitatem eiecto, Sifewindus Dagoberti auxiliis regnum Visigothorum adeptus sit.

Pulcerrimum de tanto Principe ad nos testimonium peruenit, id quod ita habet: Tempore quo Pipinus Dux egregius, & verissimus pater patriæ, rebus humanis excessit, tanto Austrasia dolore perculsa est, ut plâctui eius, planctus Regum nequaquam conferri possit.

possit. Fuit namque probatissimæ vitæ, ac purissimæ famæ, sapientiæ domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum, controversiarum finis, munimentum patriæ, decus Curia, via Ducum, & disciplina Regum. Quod de Pipino elogium cum ante annos quingentos Stephanus Abbas Leodiensis infereret historiæ S. Modoaldi, pulcram subiunxit exclamationem: *Audiant ergo nunc Duces, serenissimi Ducis Pipini tot præclaras post finem eius laudes, & intelligant Reges æquitatem eius, & prudentiam, & fortitudinem, ac temperantiam. Erudiantur huius exemplo potentes qui iudicant terram.*

*De bello sacro GRIMOALDI Ducis contra Thuringos.*

## C A P. V I I.

**A** N N O DC. XXXVII. Pipinus maior do-  
mus moritur. Grimoaldus filius eius in  
aula Sigeberti potenter principatur.

*17. Dux  
Brabantiæ  
Grimoaldus.*

Ideoque eum pro honore & officio ducatus adfuisse existimo, quando Sigebertus Rex cum Radulpho Thuringorum Duce concurrat.

*Anno 648.*

Verum cum postea nullis bellis premere-  
tur, pietati vacare voluit. Atque eò pertinet,  
quod Sigebertus Rex in suo testamento scri-  
bit, sancta ac venerabilia monasteria, Stabu-  
laus, siue Malmudarium cognominata, ubi  
vir venerabilis Remaclus Episcopus & Ab-

*Apud Nod-  
gerum in vi-  
ta Remacii.*

A s bas